



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. V. Verba mea auribus percipe, &c. Carm. gen. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](#)

PSALMVS V.

Me super irradiet: sat amico te mihi felix.
Alter frugibus horrea stipet,
Impleat & multas generoso nectare cellas,
Et congesto gaudeat auro:
Ast ego, curarum uacuuus de nocte recubam,
Et sine sollicitudine somnos
Accipiam: tu securam mihi robore mentem,
Tu certa spe pectora firmas.

PSAL. V. Verba mea auribus percipe,
Eccl. Carm. gen. 5.

O Potens rerum Deus, aure leni
Mitis exaudi mea uerba, mentis
Mente non dura tetricusque tristes
Percipe questus.
Adspice attentus, mihi quanta tendat
Vox latus: quando mihi rex Deusque
Solus es, solum ueneror precorque
Rebus in aetis.
Mane clamantem Deus aequus audi.
Nam tuum casta prece, non inanem
Spem touens, nomen iubar ante Eoum
Mane ciebo.
Tu Deus, laetus pietate uera,
Impij ritus scelus execraris:
Nec frui proui studiofa mens te
Speret amico.
Vis tuos uultus metuit, nefasque:
Hostis es fraudum & cupidæ cruoris
Cædis: audacem simulare liuguam
Falsa recides.

A iij

At tua fretus bonitate sacrum
Limen accedam, tua templa inibo:
Rite adorabo tua sancta castis
Numina uotis.

Tu mihi, ut casles fugiam dolosos
Hostium, lumen Deus æquitatis
Dux tuæ præfer, dubioque cæcos
Dirige gressus.

Hostium uerum fugit ora, pectus
Incolit fraus spurcitesq;: guttur
Tetrius putri est quod hiat recludens
Fuiera busto.

Lingua adulatrix tacito ueneno
Blandiens, cæcos meditatur iætus.
O Deus, rerum ô pater alme, gentem
Perde nefandam.

Redde conatus Pater alme uanos:
Quique te linquunt, scelerum suorum
Sentiant pœnas meritas, ab ima
Stirpe recisi.

Sed tua semper bonitate tuti
Gaudent qui spem posuere in uno
Te sibi certam impauidi, tuumque
Nomen adorant.

Nanque tu rectos animique puros
Larga opum dextra recreas benignus,
Ettui(tanquam clypeo) fauoris
Protegis umbra.

PSAL.